

Et perpetuò fore, neminemque ad illarum Observantiam teneri, aut obligatum existere vel fore, perinde, ac si nunquam factæ, initæ aut juratæ fuissent, declaramus“.

Atque hæc demùm de Statu antiquo & hodierno Capitulationum Episcopaliũ, pro specimine historico, paucis narrata, hæc vice sufficiant.

P A R E R G A

EX

JURE PUBLICO GERMANIÆ ECCLESIASTICO ET SECULARI.

- I. **F**orma Regiminis Ecclesiastici non est Monarchica.
- II. Nec purè Aristocratica.
- III. Sed mixta.
- IV. Præter Petrum enim inter pares Primatem, & ceteros Apostolos posuit Spiritus Sanctus Episcopos regere Ecclesiam Dei.
- V. Ex quo cordatè scribit *S. Bernhardus* L. 3. de Confid. ad R. Pontificem: „*Ervas, si ut Summam, ita & solam à Deo institutam vestram Apostolicam Potestatem existimas.*“
- VI. Nec minùs rectè *Bossuetius* in Def. Cler. Gal, L. 13. *Bellarmino* contrarium adserenti respondet: *Scripturis & Traditione demonstrandam, non ex proprio Cerebro, vanisque Ratiocinationibus Christianæ Reipublicæ Formam esse affingendam.*“
- VII. In Negotia mere temporalia Ecclesiæ nulla de se competit Auctoritas.

VIII.



VIII. Quidquid verò Potestatis in civilia & temporalia reaspe exercet Ecclesia sive directe sive indirecte, id à Principum Indultu, ceu Privilegiis, ac vel ex Pactis & Concessionibus, aut aliunde habet.

IX. Nequit igitur Ecclesia in Exercitio sui Regiminis, de se uti remediis temporalibus aut civilibus.

X. Nequidem indirecte, ceu in ordine ad spiritualia.

XI. Unde essentialis *sacri & civilis Imperii* differentia se exserit.

XII. Quum vero tota Ecclesiæ Potestas de se sit merè spiritualis, & Potestas ejus coercitiva de se merè spiritualis est.

XIII. Hinc Ecclesiæ nullatenus competit Jus pœnam dictandi sive pecuniariam sive Corporis afflictivam, aliasve pœnas civiles, Ecclesiæ christianæ fini laud proportionatas.

XIV. Quod si Princeps subjici quidem possit Excommunicationi tanquam pœnæ spirituali, non subjicitur tamen quoad effectus civiles, ut vel minime Princeps licet scelestissimus, Majestate suâ privari ab Ecclesiâ possit.

XV. Unde gravioribus doctissimi *Fleurii* verbis omninò adsentimus in *Inst. Jur. Eccl. P. 3. C. 25. §. 3.* „*Licet Rex Potestati Clavium subiectus sit quæ peccator, eo tamen non minuitur Potestas ejus quæ Regis: nos detestamur doctrinam sequiorum Theologorum, qui Clavium potestatem per obliquum ad res Sæculi detorquentes, Principem excommunicatum è solio deturbari, subditos fidei Sacramento solvi, Regnaque aliis donari posse crediderunt; Contrà, nos credimus, banc doctrinam sacræ Scripturæ & veterum Christianorum exemplo adversari, qui sine repugnantia Principibus hæreticis, infidelibus, ac Tyrannis morem gesserunt, quamvis satis validi ad sui defensionem; banc denique doctrinam Reipublicæ tranquillitatem subvertere, & Societatis vincula laxare sustinemus.*“

XVI. Omnis juris publici Ecclesiastici doctrina, aut jure naturali, aut positivo nititur.

XVII. Jus naturæ non subsidium duntaxat, sed verum quoque juris Ecclesiastici principium est,

XVIII.

- XVIII. Unde Leges Ecclesiasticæ suâ origine naturales, nec Concilii, multò minùs summi Pontificis dispensationi aut mutationi sunt obnoxia.
- XIX. Ex jure positivo primarium juris publici ecclesiastici fundamentum sunt præter sacram Scripturam, ipsa etiàm Concilia œcumenica, universalem Ecclesiam, ceu veram, solam, atque infallibilem Scripturarum Interpretem repræsentantia.
- XX. Jus hæc convocandi, iisque præsidendi, regulariter quidem competit Romano Pontifici,
- XXI. Utrumque vi Primatûs,
- XXII. Quin tamen repugnet in Casu necessitatis ea rite ab Imperatore, tanquàm universalis Ecclesiæ Advocato, & hodie convocari posse.
- XXIII. Episcopi in Conciliis gaudent jure suffragii votique decisivi.
- XXIV. Pontifex in casu Schismatis dubius aut hæreticus, à Concilio recte deponitur.
- XXV. Universalis Ecclesiæ consensus extra Concilium sive tacitus sive expressus, eandem cum Concilio Auctoritatem habet.
- XXVI. Summi Pontificis Legum ferendarum Potestas non est illimitata,
- XXVII. Sed salvo Episcoporum jure exercenda,
- XXVIII. Vi cujus primò examinant, nùm Leges istæ particulari suarum Ecclesiarum statui necessariæ, an saltim utiles?
- XXIX. Vi cujus secundò, interveniunt pro non Receptione illarum, quatenùs noxiæ;
- XXX. Atque hæc ratione, inviolabilitati antiquorum jurium & Libertatum suæ particularis Ecclesiæ, quivis Episcopus recte insistit.
- XXXI. Quid quod hæc Potestas Pontificia non aliter quoque quàm prævio Principum secularium *Placeto Regio*, salvoque illorum supremæ Inspectionis jure sit exercenda,



- XXXII. Vi cuius ejusmodi Leges aut Constitutiones Pontificias neolatas, priusquam publicantur aut recipiuntur, examinant, an Saluti Civitatis profanæ. Juribusve majestaticis aut regalibus contrariæ, an forsan res mere civiles determinent? easque eatenus jure deprecantur.
- XXXIII. Constitutionum Imperialium, Statum Ecclesiæ germanicæ in adiaphoris concernentium, sua semper, ut oportet, fuit & est penes Ecclesiam germanicam auctoritas.
- XXXIV. Transactionum verò & Concordatorum Nationis germanicæ cum Sede Pontificiâ initorum, nec hodie per omnia suis honor est, qualis esse deberet.
- XXXV. Transactio inter Calixtum II. P. & Henricum V. Imp. circa Investituras inita, nullatenus dici potest Majestati Cæsareæ derogatoria.
- XXXVI. Hujus Pacti vigore, nec Imperator, nec summus Pontifex constituitur Judex Controversiarum in causis Electionum Episcoporum Germaniæ,
- XXXVII. Sed Metropolitanus & comprovinciales Episcopi.
- XXXVIII. Hodie contrâ, in ejusmodi controversiis Catholicorum, Judex est S. Pontifex,
- XXXIX. Protestantium verò Imperator.
- XL. Concordata Principum & Aschaffenburgensia, sunt verum utraque Pactum, Sedem Pontificiam æque ac Nationem germanicam obligans.
- XLI. Hinc ea, Pontificis intuitu, non nisi vim Privilegii habere, falsum est,
- XLII. Nec Pontifex iisdem ex plenitudine Potestatis valet derogare.
- XLIII. Unde Bullæ pontificiæ, quatenus Concordatis derogant, in Germaniâ vim nullam habent.
- XLIV. Præcipuum Juris publici ecclesiastici domesticum in Germaniâ fundamentum, constituunt Pax religiosa & westphalica, ceu Pacta solennia Catholicos inter & Protestantes circa Religionem licitè & validè inita: quæ consequenter sanctè servanda sunt.

XLV. Horum Obligationi neque Exceptio metùs gravissimi injusto bello excussi, neque opposita Pontificis Protestatio quasi justa & efficax, vel minimum obest.

XLVI. Vi Pacis W. præter tres diversas Religiones Christianas: Romano-catholicam, Evangelicam & Reformatam, nulla alia præter Synagogam, in Imperio tolerari debet.

XLVII. Temerè verò ac contra mentem summorum Paciscentium, id hodie ad publicum solummodò Religionis non toleratæ Exercitium restringitur.

XLVIII. In Principes ac Subditos ab Augustanâ Confessione ad Religionem catholicam reduces, antiqua mox reviviscit Jurisdictio Episcoporum ecclesiastica, modò in Protestantes suspensa, non sublata.

XLIX. Bona tamèn olim ecclesiastica, modò secularifata, si quæ possideant, ut jam pristinis Ecclesiæ catholicæ usibus restituant, nullâ Legge compelli possunt.

L. Per Æqualitatem Art. V. §. I. I. P. O. inter utriusque Religionis Status stabilitam, Æqualitas omnimoda ceu universalis ac illimitata intelligi nequit

LI. Sed Æqualitas tùm ad formam & Leges Imperii, tùm ad Principia cujusque Religionis exacta, necessariò est intelligenda.

LII. Actum agit *Strubenius* in den *Nebenst.* IV. Th. XXVII. Abh. ubi ex Art. XVII. §. 6. J. P. O. conatur eruere Casum, quo hodie adhuc emergente, utriusque Religionis Statibus fas atque liberum sit, jus suum vi atque armis persequendi in Imperio, quin ultra teneantur jure experiri, idque citra Pacis publicæ offensam, non attentâ universali atque supremâ Cæsaris Auctoritate judiciariâ.

LIII. Majestatis Imperatoriæ Legitimitas, neque à Coronatione germanicâ, minùs romanâ, sed unicè dependet ab Electione legitima.

LIV. Quare ad Analogiam Episcoporum nondùm à Pontifice confirmatorum, Imperator male se scribit: erwählter Römischer Kaiser: Voce erwählter potius omittendâ.



- Lv. Imperator nullius in Imperio Potestati judiciaræ obnoxius, ab omnibus independens, superiorem in Orbe agnoscit neminem.
- Lvi. Quidquid vero *Speculum suevicum* L. 2. C. 43. §. 6. & *Weichbildum* L. 1. Art. 8. & 9. deinde *Jus feud. alem.* C. 42. §. 8. ipsaque *Aurea Bulla* C. 5. §. 3. ac vel alii Scriptores medii ævi, de judicio Palatini in Cæsarem prodiderunt, si crude intelligatur, mera fabula est.
- Lvii. Quod verò Imperatores *Adolbus*, & *Wenceslaus* à Comite palatino Rheni, reliquorum statuum Consensu, eorumque Auctoritate munito, reapse passi fuerint exauktionis sententiam, id nullà in Imperio *Lege commissoria* existente, facti est, non juris.
- Lviii. Archiprincipibus Imperii Electoribus gentium Regibus æquiparatis, ante omnes & singulos summorum in Europa Imperantium primi etiam Ordinis Ambasiadores, cùm Characterè repræsentativo insignitos, in propriis Aulis suis absolute competit *jus primæ sedis*.
- Lix. *Jus ad capitulandi*, nullo, adversus Electores, satis firmo juris fundamento prætenditur à Principibus Imperii.
- Lx. Horum in Electione Imperatoris *Matthiæ* jam primùm desuper facta Protestatio, tanquàm inefficax, meritò inter seroventes numeratur.
- Lxi. Tribus metropolitanis ad Rhenum Capitulis, Sede Archiepiscopali vacante, jura Electoralia, sive eligendi Imperatorem, sive Eidem unà cum Electoribus Capitulationem præscribendi, cùm merè personissima, nec unquam tributa sunt, nec jure quodam tribui posse sustinemus.

